

Ultimum inter signa locum obtinent: hiemi quippe finem, Veri initium afferunt. Sole cum ☿ Oriente, aquatilia primùm ova pariunt. Exprimi seu notari solent duabus incurvis lineis rectâ transfixis ☿. Curvæ enim 2. pisces referunt, & recta fasciam, quâ colligantur. Qui gentilibus pisces cupidinis, Barthasio duo pisciculi Christi, quibus distributis ultra 5000. homines miraculosè cibavit, Joh. 6. v. 9.

ASTRA extra Zodiac. AUSTRINA.

Inter signa Meridionalia, plæraque veteribus incognita, & propter australis poli depressionem, regionibus nostris inconspicua latent, ideoque vulgo non supra 15. aut 16. describuntur: At superiori seculo Astronomicarum rerum periti Naucleri, interq; eos *Petrus Theodorus*, in Americam & Indiam orientalem navigantes, plures stellas circa polum austrinum visas adjecerunt, quarum imagines & nomina seu descriptiones hinc inde in ipsorum libris, & recentioribus Globis inveniuntur. Nos breviter singulas percurramus.

I. CETUS, *κῆτος*, *Cete*, Arab. *Elketos*. Aliàs *Balæna*, *Pisrix*, *leo marinus*, *Pristis*, *monstrum à Perseo interemtum*. Nobis sit Cetus, qui Prophetam Jonam devoravit, Jon. 2. Rostrum suum Arieti substernit, & Eridani quasdam stellas pectoris quadrilatero attingit, corpore ad ♃ usque porrecto. In hoc notand. 1. *Oris lucidior*, *mandibula*, *menkar* seu *minquaron*. 2. *Venter*, *Betenketos*, *rect. batnolkitosi*. Nat. ♄. 3. *Cauda*, *Denebketos*, *rect. dhanbolkitosi*. Cujus lucidam denis gradibus justo anteriorem vulgo poni ex autopsia se deprehendisse scribit *Schickardus*.

II. ERIDANUS, *ἑριδανὸς ποταμὸς*, *fluvius*, *Padus* vel *Nilus*: Arab. *Nahar*, *Nahron*, *fluvius*: aliàs etiam *Gyon*. Nobis sit vel torrens *kidron*, 2. Sam. 15. v. 23. Joh. 18. 1. vel *Euphrates*. Sunt enim 4. in cœlo fluvii, qui 4. Paradisi Gen 2. v. 10. referre possunt. Ab Orionis pede sin. incipit, & flexuoso fluxu suo infra horizon-tem desinit in eam, quæ ultima & extrema fluvii dicitur *Acharnar* pro *Achiron-nahri*, de nat. 4 ♄.

III. ORI-